quod hi, tanquam pacis et foederum pangendorum internuncii, lituum et silicem, unde ignis elici poterat, è Templo Jovis Feretrii, antiquissimo Romanorum instituto, attulerint. O quàm divino autem consilio factum est: quod non fortè è fictitii alicujus et factitii Deastri Larario; sed è divinissimis ipsius aeternitatis adytis, è sacratissimo SS. Trinitatis sacrario ipse divinus ignis progressus sit, cumque carne coiverit: ut foederis, inter DEUM ac homines initi, esset sponsor: ut orbis donarium, ut Coelorum Lararium, ut piorum esset desiderium! Admiratio certè tanta, quum talia et alia apud animum meum paulò penitius reputo, me subit: ut planè mihi temperare non possim, quin rursus exclamem: O Adventum multâ gratiâ, multâ misericordiâ plenissimum! O Adventum datum nobis olim, omnibusque hodiernum laetitiis superstitem! O Adventum, in quo omnes omnium seculorum fideles exultârunt, et spes suas unicè collocatas habuêrunt! O terque quaterque beatos: qui Augustissimum hunc Adventum grato animo semper agnoscunt et perpendunt! O perversissimos verò, imò hominis nomine indignissimos, qui illius Adventus immemores sunt, neque de eodem celebrando unquam cogitant! Ecquid v. Vobis, Vobis, Auditores suspiciendi, de Messiano in carnem Adventu jam videtur! Annon ipse, si quid alicubi consummatum habetur, longè est consummatior! Nonne omni ex parte est absolutus, numeris omnibus perfectus! Ego equidem credo ac statuo, (credent quoque mecum et statuent omnes boni,) esse eundem omnium perfectissimum, esse omnium absolutissimum, esse omnium consummatissimum. Satis proinde nobis causae est, cur in sinu, quod ajunt, gaudeamus, omnibusque laetitiis nobis invicem gratulemur: satis causae est, cur solennem illam acclamantium, et pro se quaeque apprecantium, formulam, à popello olim Hierosolymitano ingeminatam, ingeminemusque: Osanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis.

Conclusio.

Quae quum ita sint: nemo Vestrûm, Auditores, diffitebitur amplius Adventum Messianum longè esse desideratissimum, quia à Patribus V. T. toties desideratus fuit et expectatus; esse longè decantatissimum, quia tot Vaticiniis Prophetarum praedictus, tot Typis in V. T. praefiguratus fuit; esse longè auspicatissimum, quia feliciter nobis in terra de Coelo contigit; esse denique longè consummatissimum, quia plenus potentiâ, plenus gloriâ, plenus gratiâ. Facessant itaque, facessant cum impiis suis deliriis ac somniis Judaei, atque Messiam expectent, quoad velint. Nos, nos certè, longè aliud edocti, vehementer de Adventu hoc gaudemus: gaudemusque justo, tripudiamusque, exultamusque, nunquam non cum Regio Psalmista prae nimio animorum gaudio exclamantes: Haec, haec est illa dies, quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in eâ. Nihilo verò minus certissima haec spes nos alit fore: ut Messias noster potentissimus, qui dudum in carnem venit,